



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Praelati huius Monasterij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

Prælati huius Monasterij.

ASserit modernus Abbas Monasteriū hoc Cella Dei à tempore primæ fundationis nō habuisse suos peculiare Prælatos, sed ex Monasterio Alderspacēsi datos ei fuisse clericos, quandoq; etiam Laicos, qui illud administrarent: donec tandem Anno Domini 1604, per Dn. Ioan. Abbatem Alderspacensem res aliter fuit ordinata.

I. ACHATIVS.

II. MICHAEL.

S ANCTI HAIMERANI MONASTE-
RII FVNDATIO.

*Vid. Velfer
Boicar. ver.
IV. p. 238.
Es. supr.
p. 185. &
243.*

ANNO Domini 640. & circiter, beatissimus Pater Haimeranus Pictaviæ fuit Episcopus, quæ vrbs est Aquitaniæ, qui relicto Pictaviensi Episcopatu, tempore Constantini tertij, Ratisbonam venit, ut ibi populum in Catholica fide nuper à Diuo Ruperto institutum confirmaret, ac magis instrueret, sub Theodone quinto, Bauariæ Duce, qui eum benignè suscepit & Episcopum Ratisbonensem constituit. Huic Theodoni filia fuit Huta, quam Sigibaldus quidam, Eques compresserat: Intumescente verò vtero, huius flagitij culpam in S. Haimeranum (qui tum in itinere erat Romam versus) absentem transfert, Landobertus verò, frater puellæ, rei indignitate commotus, S. Haimeranum insequitur, & comprehensum in pago Helfendorf, in superiori Bavaria circa Monachū, in frustra articulatim dissecari iubet. Membra autem dissecta nauiculæ imposita, aduerso Danubio sunt Ratisbonam translata, ibidem sepeliuntur in sacello D. Georgij extra mœnia vrbs, præsentē Theodone Duce Anno 652. Theodo igitur, ut mors tanti Pontificis, cuius innocentia miraculo patefacta est, luertur, Vtram filiam in Italiam relegat, Landobertus fit profugus & in exilio perit. Iste Theodo Monasterij S. Haimerani primus extitit fundator, Anno 696. Sed Ioan. Auentin. libro 3. Annalium fol. 281. ponit, S. Haimeranum Pictavia, Noricorum vrbe, oriundum fuisse, quem vide, & quæ de ipso apud Episcopos Ratisponens. latiùs scripta sunt.

SEQUENTI anno, scilicet 697. Appollonius primus huius Monasterij Abbas præficitur. Erat tum idem Monasterium vix Capella Monachorum, sed postea per Simpertum Episcopum Ratisbonensem, iussu Caroli Magni, fuit magnificè inchoatum & perfectum. De licentia Tassilonis, Ducis Bauariæ, aliquæ traditiones ad casam constructam, in honore S. Petri & S. Haimerani sunt factæ; inter alias vna, anno Ducatus eius XIII. ex quo constat Ecclesiam fuisse ante Carolum Magnum constructam.

ANNO Domini 732. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus Gaubaldum Episcopum Ratisbonensem constituit, qui primus in ordine fuit eorum, qui istam Cathedram & ordinariam Episcoporum successionem inchoarunt. Nam ante hunc fuere Episcopi tantum aduentitij. Sub hoc Gauboldo S. Haimeranus est translatus.

ANNO 752. Simpertus Ratisponens. Episcopus Monasterium S. Haimerani, iussu & sumptibus Caroli Magni Imperatoris V. magnificè (ut dictum est) incepit; sequenti anno S. Bonifacius martyrium subiit apud Frisones.

IN HOC S. Haimerani Monast. sepultæ quàm plures sanctæ & celebres personæ, inter quos idem D. Haimeranus primus est, deinde S. Dionysius Areopagita, magnus & Hierarchius Doctor, S. Pauli discipulus, Atheniensis Episcopus & Martyr gloriosus, qui vnà cum Rustico & Eleutherio, confortibus suis, sub Domitiano